ANNVE IESV!

DIATRIBEN MEDICAM

DE

DIEBVS CRITICIS,

indultu & authoritate illustris & gratio-
sissimæ Facultatis Medicæ in florentissima Salana,

publicæ Φιλιατρῶν Διασκέψει *subiiciunt*

GEORGIVS WOLFFGANGVS
WEDELIVS, MEDICINÆ
LICENTIATVS,

&

GEORGIVS TOBIAS WALLICH
SALZVNGA THVRINGVS,

ad diem Iul. 1667.

H. L. Q. C.

IENÆ,
TYPIS SAMVELIS KREBSII.
M DCC VII.



I. N. J.



AVrea eſt & æterna memoria digna ſententia *Hippocratis l. περὶ παθῶν c. 36. textu 1. ſeqq.* ὅταν δὲ ἐπὶ νοσέοντα ἀφίκῃ, ἐπανερωτᾶν χρὴ, ἃ πάσχει, καὶ ἐξ ὅτου, καὶ ποσταῖος, καὶ τὴν κοιλίην εἰ διαχωρέει, καὶ δίαιταν ἥντινα διαιτᾶται. *Cum ad ægrotum deueneris, interrogare oportet, quæ patiatur, & ex qua cauſa, & quot iam diebus, & an venter ſuccedat, & quo victu vtatur.*

Non minimum quæſitum, cuius neceſſariam cognitionem autor diuinus perhibet, eſt: QVOT IAM DIEBVS æger patiatur.

Si quid aliud enim, certe tempora morborum curioſe attendenda, vt dignoſcat medicus, num principium, augmentum, ſtatum, vel declinationem decurrat morbus, num πεπασμὸς *coctio*, num ὠμότης *cruditas* ſeſe prodat, vt motus morbi & magnitudo innoteſcat, vt, an CRISIS ſperanda, pateat.

Hæc omnia quantum ad prognoſin & curationem recte obeundam habeant momenti, ſole meridiano patet clarius. Fidelius inſtituitur prognoſis, tutius curatio, ſi attendantur dies morbi decretorii.

Si quæ aſſolent, quæque oportet ſigna ad ſalutem eſſe, omnia ægro eſſe videat medicus, gratioſo ore promittere vitam: ſin contra, triſte omen hariolari poteſt: vtrobique ſe χαρίεντα præſtat, vitæ necisque leges accurate penſitans.

Hoc fine quoque Exercitium hocce Academicum inſtituimus. Faxit ſupremum Numen, vt feliciter omnia cedant!

CAPVT I
ὀνοματολογίαν & πραγματολογίαν delibat.

AN *sint dies critici*, de eo nemo sanus dubitat, cum experientia, ratio, autoritas pro illis militent.

Dies h. l. non solum lucem, sed & tenebras complectitur; non id tempus modo, quo sol supra horizontem decurrit, appellatur dies, sed etiam illi tempora noctis adiacentia.

Non accipimus dies criticos *late*, pro quocunque die, vbi spes salutis vel mortis metus imminet; vbi salutem in euasuris, mortem in morituris prædicere gloriosum est medico: Hoc modo *κρίνεσθαί ἐστιν diuino Seni, ἐν τῇσι νούσοισιν, ὅταν αὔξωνται αἱ νοῦσοι, ἢ μαραίνωνται, ἢ μεταπίπτωσιν ἐς ἕτερον νόσημα, ἢ τελευτῶσιν, iudicari in morbis est, cum morbi augescunt, aut marcescunt, aut in alium morbum transeunt, aut desinunt. l. de affect. s. 8. t. 21.*

Sed *stricte* pro tempore in febribus acutis, vbi post statum, seu omnium maximam exacerbationem, morbi vel ad salutem vel ad mortem fit conuersio, quo sensu *κρίσις ἐστὶν ἀπόλυσις νόσου, crisis est morbi exsolutio. Hipp. de præcept. s. 12. t. 9.*

Dicuntur alias dies decretorii, qui decernunt de exitu morbi, item *κρίσιμοι iudiciarii, iudicatorii*, ex quibus velut argumentum capimus iudicandi hoc vel illo modo.

Nomen sortiti sunt dies critici *ἀπὸ τῆς κρίσεως, a crisi.*

Κρίσις denotat tum iudicii actionem ipsam, tum iudicium seu sententiam, quæ in iudicio fertur.

Critici dies dicuntur partim, quia in illis iudicatio quædam instituitur, cum morbus & natura contrariis depugnant frontibus: partim, quia iudicium latum designant, vel morbum naturæ, vel hanc illi palmas dedisse.

Hesychio & Suida autore, *τὸ κρίνειν* etiam *numerare, sequestrare, & veluti per cribrum aliquid excernere* denotat, item *pugnare. Vid. Lang. l. 1. epist. 37.*

Quocunque sensu accipiatur, parum refert. modo de re constet.

Crisis est *ὀξύῤῥοπος ἐν νούσῳ μεταβολὴ πρὸς σωτηρίην ἢ ὄλεθρον ἐπὶ τὸ ἄμεινον ἢ τὸ χεῖρον, subita mutatio in morbis vel ad salutem*

tem

epidem.

Acerrima pugna est in crisi. Morbus actoris vices, rei æger subit: medicus iudex est; accidentia testes. Diæta seu terminus huius pugnæ decisiuus sunt dies critici.

Motus cum sit crisis, gaudet suis terminis. *Terminus à quo* criseos est ἀκμὴ morbi, seu status. *Terminus ad quem* est salus vel mors, idque die critico.

Critici ergo *dies sunt, in quibus pugna naturæ cum morbo est maxima, vnde decretio quædam instituitur, cum excretione vel abscessu, ad salutem vel ad mortem.*

Sunt hi dies veluti arbitri & iudices disceptationum naturæ & morbi, vltro citroque habitarum. Quod ratum cuique esse debet, decernunt & statuunt.

CAPVT II.

causam criseos & dierum criticorum ex sententia Veterum exponit.

οὐδὲν ἄνευ φύσεως γίνεται, *nihil in natura fit sine natura*, seu causa naturali, inquit *Cous l. de aer. aq. & loc.*

In determinanda hac causa desudarunt vsque huc autores medici & philosophi.

Pythagoras & *Plato* numericæ virtuti causam adscribunt. His ἡ τῆς ἀριθμήσιος τάξις πρὸς τὰς κρίσιας τῶν νοσεόντων ἀρκέουσά ἐστιν, *numerorum ratio ad iudicia ægrotantium sufficiens est*, verbis *Hipp. in epist.*

Septenarius numerus ipsis est masculinus, perfectus, vnde & scalarium annorum ἐνέργειαν deducunt.

Largam huius opinionis ventilationem & discussionem videre licet tum apud alios, tum apud ipsum *Galenum l. 3. de dieb. decret. c. 11. Glacan. curs. med. part. 3. l. 2. p. 634. Claudin. s. 1. de dieb. crit. c. 6. Sennert. instit. l. 3. part. 3. cap. 12.*

Hippocrates Pythagoræ fuit discipulus, qui, vt iam subinnuimus, perfectionem rerum humanarum & diuinarum har-

omnia numerorum debent, seu ductus rerum experientia, quas ſic perinde in certa numerorum harmonia accidiſſe contemplatus eſt: ſeu quia rerum perfectio in hac numeri determinatione præfinitur. *Caſp. Caldera de Heredia tribunal. med. ſ. 5. p. 12.*

Hic itaque *diuinus ſenex* in numeris fere dierum acquieuit, &, teſte *Auicenna*, in explanatione dierum criticorum ſolum experientia fuit contentus.

Cauſam tamen redditurus, cur dimittat febris in diebus imparibus, *ait, ὅτι ἐν τῇσι ἀρτίῃσι τῶν ἡμερέων ἕλκει τὸ σῶμα ἀπὸ τῆς κοιλίης, ἐν δὲ τῇσι περισσῇσιν ἀφίει, quod videlicet in paribus diebus trahit corpus de ventriculo: in imparibus vero dimittit. l. 4. de morb. c. 20. t. 13.*

Conuenit fere cum Pythagoræis *Augerius Ferrerius, l. de dieb. crit.* qui in ſeptenarios & nouenarios diuidit dies, ex iisque criſeos cauſam elicit. *Vid. Claudin. ſ. 1. c. 7.*

Non abludit etiam ſententia *Amati Luſitani cent. 1.* & aliorum, qui dies morbi conferunt numeris cantus; vt in illis, ita in his eſſe modo conſonantiam, modo diſſonantiam: inde paribus diebus quietem, imparibus pugnam oriri.

Galenus l. 3. de dieb. decret. dierum horum rationem reddere ſtudens, eam ad ſolis peragrationem per zodiaci ſigna in morbis diuturnis reduxit, in acutis vero ad ☽æ motum, ſiue eius actio proueniat a ſignis, quæ proprio motu percurrit, ſiue a luminis diuerſitate, quod a ſole recipit, ſiue ab vtrisque ſimul concurrentibus.

Effinxit hic etiam *menſem medicinalem*, ex menſe lunari, ſeu periodico, & apparentiæ commiſtum, ſiue iam illud ex propria ſententia, ſeu in gratiam aliorum protulerit, vt vult *Sanctor. Sanctorii comm. in 1. aph. 20. p. 243.*

Auerrhoes l. 3. colliget. c. 9. cenſet morbos in hoc aut illo die potius, quam in aliis iudicari, non ex cœleſtibus corporibus, ſed ex proportione agentis ad id quod patitur, contingere, ſicut e. g. linum ab igne comburitur: finis combuſtionis non fit ab extrinſeco, ſed ex proportione potentiæ agentis ad reſiſtentem patientis corporis, ſeu vno verbo, a coctione, quæ illis diebus, & non aliis, fit.

Hieron.

Hieron. Fracastor. l. de cauſ. dier. criticor. cap. 6. vnice ad humorem melancholicum criticos refert dies, quia, 1. vt alia taceamus, humor melancholicus in morbis ſemper peccet, aut quaſi peccet. 2. cum craſſior & ſegnior reliquis ſit humor, ideo fieri, vt potiſſimum circa melancholiæ & motus & digeſtiones attendantur criſes. Sed dubiis eius ſatisfaciunt autores ſupra citati.

Ptolomæus in centiloq. c. 6. iubet criticos inſpicere dies, & lunæ peragrationem in angulis figuræ ſedecim laterum: qui ſi bene affecti fuerint, bene; ſin male, male erit ægro, cuius diductionem *vid. apud Glacan. curſ. med. part. 3. l. 2. p. 652.*

Aſtrologi alii referunt criticorum dierum virtutem ad phaſes ☽æ, non tam ad ☉em ipſum, quam reſpectu ægritudinis conſideratas. Autoritatem citant *Pergameni*, quam etiam modo tetigimus, *ex 3. de dieb. decret. c. 1. & 6.* Sed plura de his iam.

Proſper Martianus comm. in de rat. vict. acut. ſ. 4. p. 396. ſeq. Soli etiam vim non vulgarem in excitandis diebus criticis defert. Virtus ſolis eſt, *inquit*, criſin hac vel illa hora excitare, lunæ vero hac vel illa die. *Addit* etiam, etſi luna ad punctum exactum, in quo criſis excitari debet, nondum peruenerit, eam tamen diſpoſitionem in corpore & humoribus ipſis vsque ad illud tempus introduxit, vt actione ſolis adueniente criſis fieri poſſit.

Quidam πάντα νοῦν ὑπερφθέγγεσθαι omnem ſuperare captum criticorum dierum vim ſtatuunt; ſicque ad occultum & τὸ θεῖον iſtud confugiunt. Alii a Deo peculiarem ſeptimo diei inditam qualitatem arguunt. Quo referenda eſt *Valeriolæ* opinio *l. 3. loc. commun. c. 7.*

CAPVT III

cauſam, ἄμεσον & ἔμμεσον, veras indagat.

CVm dierum enumeratio *diuino ſeni* in morbis tam ſit ſolennis, ſuper quam tota & prædicendi & curandi ratio ſæpe fundatur,

fundatur, in hoc tamen quiescendum esset, etiamsi illius causa vera ignoraretur, dictante *Martiano l. c.*

CAVSA dierum criticorum & criseos ipsius IMMEDIATA est NATVRA, corpus nostrum regens, seu prout quis nominare volet, calorem nostrum, archæum, facultates animæ cum calore simul, vel expultricem modo, quam in specie amplectitur *Pergamenus l. 3. de dieb. crit. c. 8.*

Hæc vere τὸ θεῖον est in morbis Hippocraticum. Νούσων φύσιες ἰητροί. *Natura morborum medicatrix. 6. epid. s. 5. t. 1.*

Hæc morbis alteratur & impugnatur, pugnamque contra cum morbo instituit, πέψει, πεπασμῷ καὶ ἐρεθισμῷ corpori succurrit, nec extremum conatum detrectatur, vt sicubi potis est, eliminet hosticam turbam: sin minus & ipsa succumbit, sicque κρίσιν eiusmodi instituit.

Natura ἀνευρίσκει ἑαυτῇ τὰς ἐφόδους, *inuenit sibi ipsi insultus,* velut aggressorem quendam, quibus expellit morbos, eosdemque quantum potest, a se propulsat. *6. epid. sect. 5. t. 2.*

MEDIATA PROXIMIOR seu materialis sunt HVMORES, inprimis BILIOSI, a mistionis confœderationisque legibus secessionem qui fecerunt. Natura itaque διακρίνουσα ἀπὸ τῶν χρηστῶν τὰ μοχθηρὰ, καὶ παρασκευάζουσα πρὸς τὴν ἔκκρισιν, *secernens humores noxios a bonis, eosque ad excretionem præparans,* crises & dies criticos producit, *Galen. 2. aph. comm. 13.*

MEDIATA REMOTIOR προκαταρκτική, quæ intrinsecam ad agendum mouet, est INFLVXVS ASTRALIS, præcipue LVNÆ, quæ in hæc sublunaria omnium manifestissime vires suas diffundit. Vid. *Zacut. Lusit. M. P. H. 66. l. 2. it. introit. ad prax. præcept. 44. fol. 35. & Helmont. form. ort.*

Hæc humorum domina, a veteribus philosophis ψευδοειδὴς a luce mutuatitia nominata, prout certa incertis vultibus vertigine modo hac, modo illa ad solem facie apparet, ita etiam humores in corpore nostro, ægro præsertim, & h. l. febrium ardentium vesuuiano igne exusto, dispensat.

Cum emensa est ☽a a principio ægritudinis 90. gr. sicque ad □ peruenit, (quoduis autem signum Zodiaci constat 30. gr.) efficit primum diem criticum: cum 180. gr. in ☍ne posita facit secundum

cundum diem criticum. Cum iterum ad □ decurrit, seu 270. gr. compleuit, tertius emergit criticus: cum ad locum primum deuenit, quartus exsurgit decretorius.

Decumbebat *1666. d. 7. Mart.* ardenti continua febri, tertio quoque die exacerbata magis, æger iuuenis 24. annorum, initio sensibilis læsionis actionum ☽a existente in 11. gr. ♌. Decurrebat febris tempora sua; Nox septimum diem antecedens erat inquieta, caput repletum & graue, inde sternutationes tres cum tussi, porro hæmorrhagia critica larga sequebatur, mane ex asse ☽a ex 11. gr. ♌. ad 11. gr. ♏. perueniente. Sequentibus horis pacata omnia & quieta, vires redibant, sed elapsa septimana ob præposterum diætæ ordinem in tertianam intermittentem incidebat.

Quoniam vero ☽a non æquis emetitur Zodiaci signa passibus, sed motu diurno vero modo 11. modo 12. modo 13. & plures gradus complet, prout in apogeo, vel perigeo, in signis longarum vel breuium ascensionum, in latitudine australi vel septentrionali versatur, hinc fieri non potest, vt singulis septenariis examussim critici procedant dies. Incidit enim ex hac ratione modo in finem 6ti, modo in 7. modo in 8uum diem. *Vid.* hanc in rem *Argolum Astron. l. 2. c. 14. p. 74.* vbi, in morbi decursu, *ait*, si sedulo attendatur, cum ☽a maleficorum vel beneficorum corpori & radiis occurrerit, mira conspiciuntur in arte, certioresque prædictiones, quam ex *Hippocratis* aliorumque prognosticis.

Schema Phaseon ☽æ.

♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎	♏	♐	♑	♒	♓	○	'
△	□	*		☽		*	□	△		☍		11	26

3. D. C. 4. D. C. 1. D. C. 2. D. C.

Valet hic *Hippocraticum* illud oraculum: *οὐκ ἐλάχιστον μέρος ξυμβάλλεται ἀστρονομίη ἐς ἰητρικὴν, ἀλλὰ πάνυ πλεῖστον. Non minimam partem confert ad rem medicam astronomia, sed omnino plurimum. De aer. aq. & loc. s. 2. t. 1. p. 329. Et l. 1. de diæta. c. 2. t. 17. ἄστρων ἐπιτολὰς καὶ δύσιας γινώσκειν δεῖ, astrorum*, ait, *ortus & occasus cognoscere oportet.*

CAPVT IV.

Differentias enucleat.

ELeganter *Hippocrates de septim. part. s. 6. t. 11.* ἐν πᾶσι τοῖσι χρόνοισι τουτέοισιν ἔνεστι πρὸς ἕκαστον πολλὰ μὲν ξυμφέροντα, πολλὰ δὲ πολέμια. Ἐκ μὲν οὖν τῶν ξυμφερόντων αἱ ὑγίειαι, ἐκ δὲ τῶν ἐναντίων, οἱ θάνατοι. *In omnibus his temporibus (diebus) insunt ad vnumquemque & vtilia multa & hostilia multa. Ex vtilibus sanitas contingit, ex contrariis mors.*

Critici dies I. RATIONE GENERIS alii sunt *1. perfecte tales*, & κατ' ἐξοχὴν critici dicti, qui septenario vtplurimum communiter includuntur numero. Primas tenet septimus, post hunc potissimus est decimus quartus, & in casu producto dies vigesimus primus. Quibus nobilius elucet priuilegium, quod cum fide & salubriter iudicent, perfecte, manifeste, & clare.

Subsequentibus vero diebus tanto magis efficacia delassatur, quanto magis receditur a principio, vnde hodie, obseruante *Casp. Calder. l. c.* post 21. diem acrioribus stimulis non exploramus crises.

2. Θεωρητοί, *indices*, qui signis quibusdam, v. g. coctionis, instare diebus criticis crisin præmonstrant, & hi statuuntur 4. 11. 17. Mouere enim intendit tum superior tum inferior causa in medio quadraturæ, tuncque materia dimidium dispositionis consequitur. Dies hi monstrant, morbum ad crisin tendere, eamque iam esse in via. Ita quartus est index septimi, vndecimus decimi quarti, *2. aphor. 24.*

3. Παρεμπίπτοντες, *intercidentes, intercalares*, qui inter indicantes & criticos incidunt. Audiunt quibusdam *prouocatorii*, quia naturam ad expulsionem immaturam humorum irritant, & sunt 3. 5. 9. 13. 15. 19.

4. *Vacui & medicinales* vocantur reliqui, quibus tutius, natura quiescente, medicamenta propinantur, suntque 6. 8. 10. 12. 16. 18. dicti alias *critici mali*.

Quemlibet diem posse esse indicatorium & iudicatorium, prolixe exemplis *Hippocraticis* probat & dilucidat *Sanctor. Sanctor. comm. in 1. aph. 22. quæst. 89. p. 221.* Variat enim tum morborum & naturæ vis, tum quoque cœlestes aspectus. Nihilominus frequentius contingunt critici dies die 7. 14. 21. quorum tempora si dimetian-

tur

tur & consocientur cum motu ☽æ exacto, cum reliquorum planetarum aspectibus, resultabit inde vel malum vel bonum omen.

Philosophus physicor. l. 5. c. 6. morbi solutionem, quæ diebus vere criticis contingit, vult fieri κατὰ τὴν ἀλλοίωσιν φυσικὴν, *secundum naturalem alterationem.* Quæ vero diebus non criticis, κατὰ τὴν βίαιον ἀλλοίωσιν, *per violentam alterationem.*

Quæ diebus criticis contingit crisis, bona ac fida iudicatur, quæ aliis, imprimis sexto die, mala, infida, imperfecta, periculosa, de quo inferius.

II. RATIONE SVBIECTI crebrius & tutius crisis & critici dies sperantur in iuuenibus, in quibus calor vegetus residet. In senibus a 40. ad 60. ætatis annum sperabiles non sunt crises, καθ' ἔκκρισιν ἢ κατ' ἀπόθεσιν, *per excretionem vel abscessum*, vt ait *Duretus comm. in coac. p. 375.*

CAPVT V.

Problemata ventilat.

VAria circa dies criticos agitantur ζητήματα. Nos aliquorum solum mentionem faciemus.

Vnde incipere debeamus criticos dies?

℞. ab initio febris, *Gal. 1. de dieb. crit. c. 6.*

Aetius l. 5. c. 5. refert febris initium numerandum esse ab illo tempore, quo sensibiliter læduntur actiones, id est, quo æger eget decubitu, non autem, quo decumbit: multi enim licet egeant decubitu, non tamen decumbunt: multi etiam delicati statim leuiori de causa decumbunt.

Hippocratem in enumeratione dierum in morbis vulgarem vsum secutum, primum diem appellare totum illud tempus, ex quo æger laborare incepit, vsque ad occasum solis; reliquos vero subsequentes accipere a ☉is exortu, terminantes in occasum, late probat *Prosper Martian. comm. in l. de rat. vict. acut. s. 4. vers. 162. Glacanus* tamen *l. c. p. 697.* contrarium euincere satagit.

Sed audiamus ipsum oraculum: Φυλάσσεσθαι δεῖ τὴν πρώτην ἡμέρην, ἐν ᾗ ἤρξατο ἀσθενέειν ὁ κάμνων, ἰδόντα τὴν ἀρχὴν ἐξ ὅτου, καὶ ὅτε. Ἡγέεται γὰρ τοῦτο πρῶτον εἰδῆσαι. PRIMVM DIEM *obseruare oportet, quo æger debilis esse cœpit, cognito principio ex quo, & quando. Præcipuum enim hoc est, vt sciatur. l. de vict. acut. s. 46. t. 12.*

An etiam in nostris regionibus critici dies dentur?

Galenus l. 2. de dieb. crit. c. 7. testatur, se vna æstate quadringentos ægros vidisse, septimo & nono die iudicatos. Hodie vix vnum atque alterum occurrit exemplum, accuratius attendenti.

In frigidis & borealibus regionibus rarissime expectantur criticæ exacte euacuationes. Causam quod spectat, cur in nostro climate tam raro obseruentur exquisitæ crises, diebus criticis euenientes, *nonnulli* reiiciunt in ipsarum regionum temperiem.

In nostræ Germaniæ regionibus, & præsertim sub nostro polo, & in nostro solo, quod climati 8. 9. & 10. a latitudine 49. gr. ad 54 gr. subiacet, rarius crises perfectæ ad salutem eueniunt, ait *Laurent. Eichstad. pædia astronom. sect. 3. p. 322.*

Optime sæpe laudatus *Prosper Martianus comm. in l. 2. de morb. sect. 2 vers. 194. p. 174.* continuo, *inquit*, medicamentorum refrigerantium vsu (propter febrim) incrassatis humoribus, corporibusque densatis, spontinæ euacuationes sæpe prohibentur, vt hæc non sit leuis causa, cur nostris temporibus tam raro fiant crises, quæ frequentissimæ erant antiquis.

An in vulneribus, præcipue cerebri, attendendi critici dies?

Astrologi cerebrum peculiari modo ☽æ dominio subiectum esse edicunt, vnde & nonnulli illud ad ☽æ phases augeri & imminui censent.

Non inconueniens videtur, attendere tunc decretorios dies. Vulnera enim hæc, si magna sint, acutis morbis æquiualent sæpenumero, & tantum non semper febrim coniunctam habent, & his diebus iudicantur, spe ad salutem vel mortem facta, vnde & communiter diem xv. expectant chirurgi, donec nempe ☽a ad ☍nem peruenerit, quem si æger superuixerit, saluum esse de vita iudicium putant.

Hinc in testificandi ratione de vulneribus capitis, obseruandum etiam venit, quo die ab accepto vulnere secuta sit mors.

Rogerius ad centesimum diem vulnerum capitis periculum protendit. Legislatores ad 40. medici vero 15. qui communis est terminus acutorum simpliciter. *Vid. Rod. a Castro, l. 4. med. Polit. c. 11. p. 257.*

Cur sextus dies statuatur tyrannus?

Licet omnia recte habeant, vix tamen vnquam soluitur

mor-

morbus, quando crisis die sexta facta est. *Erast. praelect. in 1. aph. 20.*

In hoc nihil κρίσιμον, nihil κρίνον, nec vlla sperabilis vitæ salus apparet. *Duret. in coac. p. 167.* vnde septimus dies Regi, sextus Tyranno comparatur a *Galeno.*

Vnicum solum, ceu prodigio simile, exemplum bonæ criseos, sexto die in virgine Larissæa factæ, prostat apud *Hipp. 3. epid. s. 3. ægroto 12.*

Causa huius est 1. ratione causæ remotæ. ☽a raro vel nunquam tam subito iter suum emetitur, vt sexto die ad □ perueniat. 2. significatur ergo a posteriori, si die hac contingat extraordinaria crisis, humorum magnum esse vitium, quod naturam ante debitum tempus, prius, quam sufficiens instituta sit διαχώρησις, coctio, digestio, ad excretionem irritat, vt itaque quasi symptomaticam pro critica euacuationem coacta moliatur.

Dato hoc, vtique vtplurimum internecionem parit tyrannica sua vi, non tam dies, quam morbus.

Quod ad illud attinet, crises interdum quarta fieri die, id pariter ex hoc fundamento diiudicandum venit. Si enim vis præemineat morbi, & violentus impetus, vtique natura, priusquam coctionis signa prodere possit, succumbit facile, præsertim quia tunc circiter ad ✱lem seu 60. gr. progressa est ☽a. Si contra naturæ fortiora testimonia faueant, quid obstat, quo minus debilem hostem minori opera exstimulet?

Mutatione perficitur crisis, mutatio autem motu. Quorum morborum labores continenter, celeriter, & vehementer mouentur, citas etiam crises afferre solent.

An crisis & critici dies etiam competant morbis chronicis?

Cornel. Pleier. med. crit. Astrol. p. 42. dies critici, *scribit*, tam in chronicis attenduntur, quam in morbis acutis: & qui numerantur in chronicis, insequuntur motum solis, qui vero in acutis, imitantur motum lunæ.

℞. 1. Si late vocabulum criseos sumatur, & chronicis attribui potest. 2. morbi, qui acutorum ideam æmulantur, subitamque interdum solutionem nanciscuntur, cum ταραχῇ *perturbatione* quadam coniunctam, si præsertim illo tempore fiat, quo crises accidunt, criticis diebus desinere dici possunt.

Hoc modo *Cous* ad diem 30. 48. 60. 80. 100. κρισίμους extendit dies, & erraticas quoque febres, quartanas, quintanas, septimanas, & nonanas, in quibus circuitibus iudicentur, considerandum esse scribit *7. epidem s. 3. t. 38. & 42.*

CAPVT VI.

Porismata elicit.

I. *Chronici morbi λύσει, acuti κρίσει terminantur.*

In illis sensim & sensim collecta materia pedetentim quoque eliminatur, vnde per ἐπίκρασιν alterandum & purgandum. Solutio ad mortem in specie nominatur μαρασμὸς, cum lenta tabe, lentoque excidio destruitur corporis œconomia.

2. *Non religiose expectanda crisis.*

Non tanti facienda sunt astra, vt penitus ad se vocent medicum, spretis, quæ in terra sunt, indicationibus, ne cum Thalete cœlum suspiciente in foueam deturbetur morborum artifex. Agere debet, quæ sui sunt officii, id est, naturæ inseruire, quæ sicubi crisin instituere præsumatur, non turbanda in opere: contra vero non omne negotium naturæ committat, ne officio suo deficiens, vbi quam maxime expetebatur, & naturam turbet, & ægrum internecioni det. Γνῶθι καιρὸν obseruandum. Inutile esset medicinæ magisterium, si totum medendi negotium naturæ quasi vnice, non vero arti, nec eius præfecto committeretur, ait *Lang. miscell. curios. p. 8.*

Decumbebat æger studiosus tertiana continua: die quinto V. S. præsentibus indicationibus instituebatur, septimo emanebat exacerbatio febris.

3. *Nil mouendum die critico.*

Nihil magis periculosum, quam immatura medicina, ait *Seneca. Hippocrates l. 4. de morb. s. 21. t. 16.* medicamenta purgantia in diebus imparibus adhibita homines sæpe necasse *scribit*; humorem enim in corpore ægroti magis turbari in imparibus diebus.

Vigentibus morbis præstat quiescere. *2. aph. 29.* Velificandum est naturæ, quæ si instituat πεπασμὸν, & crisin efficiat, non turbanda in opere suo.

Non potest diuidere copias sine noxa magna, & metu succumbentiæ, ita vt & medicamento in actum deducendo, & morbo op-

bo oppugnando occupetur. Vnitæ vires fortiores diſperſis, præſertim cum iam in conflictu ſit cum morbo.

4. Quæ iudicata ſunt perfecte, nullo modo mouenda. 1. aph. 20.

Si natura tempore iudicationis perfectam euacuationem materiæ morbificæ peragit, tunc nil penitus innouandum, nihil mouendum, ſed omne penitus naturæ negotium eſt relinquendum.

Medicus naturæ miniſter tunc motum naturæ dominæ ſuæ obſeruare, nihil ea operante temere mutare debet, niſi vt vel effrænem frænet, vel vt pigriorem excitet.

Interpretes nec lenientia, nec balnea, nec clyſmata in hoc caſu conuenire docent, quæ tamen alias benignitate ſua omnino ſe commendant.

Si per criticam ἔφοδον dimiſſionem nacta ſit febris, quis inſtituere vellet de nouo purgationem. Per τὸ κινέειν enim *aluum mouere* imprimis intelligitur.

5. Non ſola ☽ ſpectanda eſt.

Colligenda ſunt vota ſignificatorum & promiſſorum. Sæpe malefici ♄ & ♂ criticos efficiunt lethales, benefici ♃ & ♀ vel mitigant infauſtum omen, vel ſalutem inferunt.

Idem de ſtellis fixis inſignioribus intelligendum venit, quas ipſe *Hippocrates* obſeruandas docet, *de aer. aq. & loc. ſ. 30. t. 7.* δεῖ δὲ, *inquiens*, καὶ τῶν ἄστρων τὰς ἐπιτολὰς φυλάσσεσθαι, καὶ μάλιστα τοῦ κυνὸς, ἔπειτα ἀρκτούρου, καὶ ἐπὶ πληϊάδων δύσει. Τά τε γὰρ νοσεύματα μάλιστα ἐν ταύτῃσι τῇσιν ἡμέρῃσι κρίνεται. *Oportet autem & aſtrorum exortus conſiderare, præcipue canis; deinde Arcturi & pleiadum occaſum. Morbi enim in his maxime diebus iudicantur.*

Quo de conſuli poteſt *Laurent. Eichſtad. pad. aſtron. ſupr. cit. Pleier, med. crit. aſtrol. p. 85. ſeqq. Abrab. Auenezr. de dieb. crit. & alii.*

CAPVT VII.

Inuectiuæ in criſin & criticos dies.

G*Alenus l. 1. de dieb. decret. c. 3.* ægre fert proteruiam quorundam, inter quos fuit Aſclepiades, qui dies criticos repudiabant, non alio argumento, niſi quod in virtute dierum eiuſmodi non conuenirent medici antiquiores.

C. Cel-

C. Celsus, medicorum Cicero, l. 3. c. 4. hæc contra decretorios dies, elegantia magis, quam pondere grauia, profert: Est autem alia de diebus dubitatio; quoniam antiqui potissimum impares sequebantur, eosque, tanquam tunc de ægris iudicaretur, κρισίμους nominabant. Hi erant dies 3. 5. 7. 9. 11. 14. 21. ita vt summa potentia septimo, deinde quarto decimo, deinde vni & vigesimo daretur. Igitur sic ægrotos nutriebant, vt dierum imparium accessiones expectarent, deinde postea cibum quasi leuioribus accessionibus instantibus darent; adeo vt *Hippocrates*, si alio die febris desiisset, recidiuam timere sit solitus. Id Asclepiades iure vt vanum repudiauit; neque in vllo die, quia par aut impar esset, his vel maius vel minus periculum esse dixit. Interdum enim peiores dies impares sunt. &c.

J. B. Helmontius de Blas hum. §. 6. in infirmitatibus omnem naturæ conatum esse symptomaticum, pronunciat.

Idem monet, medicum crises negligere debere, nec optandas eas esse, sed anticipandas non expectandas, ne morbum in tempore superandi idonea negligatur occasio.

Faber panchym. l. 3. in arg. medico incumbere *ait*, vt morbos ante crisin, ac sine crisi alacriter curet.

Sed horum inuectiuæ non morantur rationales medicos, vt opinionem de diebus criticis conceptam dimittant.

Verum est, non spectari in nostris regionibus, vt olim, sæpius crises; id tamen non euincit, plane spernendos esse criticos dies.

In variolis quidem & morbillis medicus expellentia adhibet medicamina, sed his iuuat naturam, ad extimam superficiem materiam noxiam propulsantem.

Vno verbo, non vt diuinatores polliceri debent criticos dies medici, sed vt artifices.

Hæc de diebus criticis hac vice sufficiant.

DEO VNI TRINO GLORIA.

